



Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnia hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de
Coloniae Agrippinae, 1655**

caput decimum sextum. De prodigiis quae eo die quo praelium
commissum est, evenerunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

bus interne fere deletum. Cæsar fugientes
vnum milliare, alij longius, & ad tria etiam insc-
quati sunt, & media fere die ad Solis usque occa-
sum pugnatum fuit. Ad Cæsarem è confiecture-
re deinceps Albanus Saxonem captiuum adducit,
vndante per faciem sanguine ex vulnere accepto
perfusum: qui ubi in Cæsaris conspectum venit,
Quandoquidem ita fortunatulus, inquit, ecce metibi,
Clementissime & potentissime Cæsar, captiuum sisto, ut
me pro loci quo natus sum dignitate tractes, rogans. Tum
Cæsar, Jane hic quem nunc mihi tribuis titulus longe
diuersus est ab eo quem ante mihi tribuisti, verum pro-
meritus ego te accipiam. Integra hæc & plena fuit
Cæsaris victoria, quum omnes fere qui cum Saxon-
e fuerunt, aut occisi aut capti sunt, exceptis qua-
dringentis & amplius, qui cum maiore natu Saxo-
nis filio, iridem vulnerato, VVitembergam euase-
runt. Est sane diligentia vna ex præcipuis militaris
ducis dotibus, quum vna saepè hora amittatur,
quod numquam deinde recuperari potest. Quod
si Cæsar eo die Albim non traieisset, victoriam
ipius cursum Albis procul dubio statisset; qui se
quenti die i ita auctus fuit, ut non modo vado, sed
ne nata u quidem, ob summam aquarum violen-
tiam, potuerit transmitti. Quia etiam si Saxo duo
decim diutum spaciū habuisset (quod captiuus
non semel dicere solebat) ad trigoita peditum &
Septem aut octo equitum milia contra Cæsarem
fuisset producturus. Farendum sane est ingens hoc
fuisse militare facinus, nimium profundum, ac
nullib[us] fere vadolum fluum traicere, hostem
tam longe persequi, solo equitatu tam equestres
quam pedestres hostium copias, sylva etiam quo
se recipierent, munitas, sine omni tormentario ap-
paratu, quo hostis abundabat, aggredi: hacque vna
clade Protestantium factio tota ruita delecta, nisi
quidam poltea publicam utilitatem priuatis suis
commodis & cupiditatibus posthabuissent.

DE PRODIGIIS QVÆ EO DIE quo prælium commissum est, euenerunt.

CAPUT XVI.

ARGUMENTVM.

- I. Diuersa prodigia qua illo die apparuerunt.
- II. Miraculum circa Solem.

III. Ludouici Avila de illo testimonium.

IV. Anna nobilis Ital.

V. Sleidanus Anilam mendacii non accusat.

VI Imperatoris Victoria positi dictum & quanti e amo-
mentis fuerit.

I. IN rebus vstatum Naturæ cuiusum superan-
tibus, lente admodum & tarde haberi fides
solent; & miracula ut plurimum in falsis at suspic-
tionem veniunt, nisi locupletum auctorum qui
ea ipsa quæ recitent viderint, nec ab alijs tantum
accepterint testimoniis comprobentur. Quod hoc
loco scripturus sum, quodque Anno M. D XLVII.
Aprilis die XXIV. eo ipso die quo memorabile illud
Cæsaris cum Saxonem prælium commissum est,
(a) accidit, tam admirabile est, ut vix ullam afferre
autem probationem ad demonstrandum, cœlum
& terram eo die in hærescos exitium coniisse,
nisi fide dignos haberem auctores, tamquam eorum
quæ à medientur vades. Et quidem eo ipso
tempore quo Catholicæ exercitus prælij co-
piam; hæc et corum vero elabend spaciū quare-
bat, aquila visa fuit, quæ Cæsariam exercitum
in gyrum circumvolitans lustravit, tamquam vi-
ctorię, quam Imperialis aquilæ milites aullo post
addepti erant, prænuncia. Et lupus è syl. a pro-
gressus, in Hispanorum militi m globum incidit,
et quibus gladiorum ictibus subito confusus est.
Sed ad ipsum miraculum veniam.

II. Primo, cœlum tamquam igne ardens & Sol
sanguineo conspectus fuit. Et utriusque exercitui
sol tardius incedere & longius victoriam spaciū
dare visus est. Sleidanus rotum hoc, quod Pro-
testantium caussæ parum faueret, paucis & obscuris
verbis tantum perstringit, aiens, illis diebus so-
lis aspergit va de fuisse tristem, obscurum, pallidum
& velut caligine quadam circum datum, ut
plerique à Saxoniam longissime remori & ignari
quid ageretur, iudicarent magnaliquid porten-
di; nec enim in Germania solum, sed per Galliam
etiam & Britanniam id fuisse obseruatum, & ita
rem habere multa hominum millia testificari pos-
se. Hæc Sleidanus. Verum Ludouicus Avila qui
prælio interfuit, & Baptista Gribaldus nobilis Ita-
lus, ille quidem II. belli Germanici libro, hic vero
in quadam suarum Relationum, de prodigioso
hoc solis aspectu talo quontur.

III. Quo die prælium commissum est, inquit Avila,

ingens

2 Vlenberg. Vita Melanchthon. cap. 17.

ingens fuit solis astus, solque sanguineum veluti colorem referebat: nobis vero intuentibus, multo altior & ab occasu remotor quam pro diei tempore videbatur, quasi cursum ille suum retardasset, ut diem faceret longior em. Hac quidem omnium est opinio: cui etiam contradicere non ausim. Idem eodem die Norimberga & in Gallia quoque obseruatum fuit, ut ipse Rex postea affirmavit: itemque in Pedemontio, ubi idem color solu visus est. Quod ergo tamquam rem maxime membrum notare quoq; volui. Hæc Aula.

Quo tempore Albæ Dux in Galliam venit, regis sui nomine cum Elizabetha regina matrimonium contracturus, ab Henrico II. rege, belli eius mentionem faciente, de hoc, Solis vultum mutantis, & quasi cursum sistentis prodigio rogatus, quidoam ipse vidisset, Totius mundi, inquit, Rex sacratissime, & tum & postea de hoc miraculo constans fuit sermo: mihi verotum ab ijs quæ in terra gerentur, oculum non fuit vel oculos ad cœlum elevandi, eiusque faciem contemplandi. Hæc ego à Basquio nobili Gallo, Aixensi p̄fecto, antiquæ homine virtutis & fidei, ac Regi per quam familiari, accepi: cui postea is quoque honos à Rege obtigit, ut ex omni aulica Nobilitate ad prægustatoris munus fuerit adhibitus, Rege monito ut à veneno sibi caueret. Tempus tamen cum eo quod idem Aula de hoc eodem rege scribit, ne quaquam conuenit: quum Aulæ Commentarij iam de cœm annisante fuerint impressi. Sed alterum auctorem Italum sua lingua loquentem au-damus.

IV. Quella battaglia è piena di cose stupende, & di miracoli. Et in hoc præcio multis res stupenda & miracula apparuerunt: cœlo ipso fauorem suum omnibus in rebu erga Casarem monstrante: in eo presertim quod hostes qui capiendi eius elab̄isti passi sunt occasionem, postea vidi in ipsius manus periuenerunt. Quum Casar suos in hostem duceret, Crucifixi vidi imaginem media in via à scelerato contractam iacentem; tum ex equoprofilens, leuatis ad cœlum oculis. Etsi, inquit, ô Domine Deus, satis tibi sit virum ad tuas vindicandas iniurias, quæ ostendentes mihi illam gratiam ut de imp̄is illis saerilegis hodie poenas sumere possem. Est vero res certissima, quod in illo temporis articulo quo virimque in proscinctu ad manus conferendum armata stabant acies sollempniter ante clarum, subito sanguineum colorem referre & obscurari vidimus (quod à nullo mortalium ante visum est) significantem quasi, se cursum suum sistere, ut (nostris) integrum victoriam consequendi daret spacium. Et unus è concionatoribus nostris, qui in nostra tum co-

horta erat, per totam aciem discurrens, Bono animo esse, inquit: filij! Ecce Dei ille oculus, se inclinat ut singularem illum vobis praestet fauorem, vosque admoneat & in-tuet, ut officium vestrum in profugandis inimicis suis impigre obeat.

VI. Quod si hoc à nobilissimis & grauibus vi-ris, & testibus oculatis scriptum non esset, dubi-tandi fortasse quis causam haberet. Nam quem fructum illi ex hoc mendacio sperare poterant? Quis credat, tantam illorum fuisse impudentiam, utrem falsam pertotum Christianum orbem di-vulgare ausi fuerint, quum in vitroque exercitu tam multi Principes & grauissimi viri fuerint, qui mendacijs eos coarguere possint. Sleidanus certe quem Aulæ commentarios legisse certum est, ex eo, quod ipsum impurum & mendacem hominem ap-pebat, quodque de tota Germania tam frigide tam contentim atque alieno loquatur, iustam in eum invehendi causam habuisse, si in hoc recitando miraculo, & in re tanti momenti, mendacijs ipsum potuisse conuincere. Et quid ille amplius non dictus fuerat, qui eodem loco quo de Aulaloc-quitur, adiungit, Rei istius tanto maiorem esse in-dignitatem, quodlibellus ille singulari quodam Cæsaris privilegio sit excusa: Aui am reprehendi, quod scripsit Albertum Bra debuigicum à feminis delusum, cladem illam accepisse: at pro-diogosam hanc solis stationem tantum abest, ut carpat aut rideat, ut etiam ne verbo quidem attingat.

Sed & tertiom auctorem addamus. Consaluum de Illescas, qui in II parte Pontificalis sua histo-riæ Hilpanicalingua conscriptæ, de eadem re sic loquitur. Et s'olper todo à quel dia tuorū color sanguineo, &c. id est: Soltotus pereum diem sanguineum ostendit colorem, & affirmat multij in eo stationem quandam obseruasse, qualis fuit tempore loue: ut nimis Carolus V. verorum Israëitarum dux spacie habet vincendi, & inimicorum Crucis Christi vires frangendi. Idem color Solis qui in Saxonie, Norimberga quoque fuit conspectus. Hæc ita e habere, ex multorum fide dignorum hominum testimonij constat, eoque pro vero & ipse hoc loco ponere non dubitauit. Badem de re circumferuntur versus aliquot, memoria non indigni: quorum auctorem, si de nomine mihi constaret sua hic cum gloria non fuisse frustratus.

Phœbe, quid alipedes seruire remorare quadrigas,

Nec rapidum prono tramite tendis iter?

T' sub Atlantiaci tepidas vocat aquoris undas,

Oo

A li

Allicit inque audios Thetis amica sibus.
 Tamen obtutus perstas et fixus in uno,
 Sint velut in terris quis teneat mora.
 Diceris haud aliter renocatus latus habens
 Spectasse inuiti prælia Nauidea.
 Fallimur an rursum nouate spectacula tardant,
 Quum gerit ecce nouus prælia Nauideas.
 Prosternit & haec volucru sola est tardatio cursus,
 Hereicos CAROLVS QUINTVS ut en se metat.
 Cernis, ut abiectu dant suis fugataq; signis
 Agmina, precipit is erga non aida fugae!
 Cernis ut Austriacus celeri pede miles & hasta
 Hereticas turmas feruidas urget, agris.
 Obene Phœbes faues, inhibesq; à gurgite currum
 Antepio quam sint fixa trophae duci.
 Namq; hic Nauideas, si non diuinior; hostis
 Tetricus, & superus, laurea grata mage est.

Tu quidem, o Catholice Monarcha, ad gentili-
 tia tua insignia & Imperiale Aquilam adiungere
 debebas SOLEM, magni illius ducis & fortissimi
 filiorum Dei propugnatoris exemplo. Nam si lo-
 sue, quod pre cibis suis dum contra Gabaonitas
 dimicat solis cursum stiterit, Sole deinde pro
 Symbolo vsus est, & sepulcro quoque suo incidi
 voluit; quis negat tibi quoque ius fuisse Solem
 pro Symbolo usurpandi, & in tuo quoque monu-
 mento ostendandi? quum is & que in pugna, quam
 tuac pro Ecclesiæ defensione pugnas, vltro cur-
 sum suum inhibuerit, & quasi in societate in victori-
 a & triumphi tui venire cupiens, purpureo ami-
 etu conspicie odum se præbuerit, velut Dei hostiū
 sanguine tinctus. Sed honorem hunc filio tuo Phi-
 lippo I., tot regnorum hæredi, relinquere volui-
 sti, in cuius Symbolo Sol ab horizonte exsurgens
 lucet, cum hac inscriptione: MOX ILLVSTRABIT
 OMNIA. Tu Aquila tua Imperiali contentus fuisti,
 que illo ipso quoque die exercitum tuum circum-
 volitans, victoriam tibi ac tuis prænunciavisti.

Iulius Cæsar olim profligato incredibili cele-
 ritate bello Asiatico, tribus his verbis, VENI, VIDI,
 VICI, pro symbolo vsus est: at Cæsar noster Chri-
 stianus, confecto bello Germanico, illa ipsa hora
 qua victoriam hanc adeptus fuerat, maiori cum
 modestia & pietate his verbis vsus est: VENI, VIDI,
 ET DEVS VICTUS.

VI. Scilicet Titus quoque Imperator, à Deo ad Iu-
 dæorum excidium electus, Hierosolymam con-
 templatus, defixus admiratione exclamasse dici-

tur, non suis se viribus Iudeos & tam validis munitioni-
 bus expulisse, sed Deum contra ipsos pugnasse. Quod si
 præmium huius dicti Lutheranis secundum euan-
 set, procul dubio ipsi Romæ signa sua inferre fuil-
 sent conati. Quid enim aliud restabat, nisi vt victo
 Imperatore, Princeses illi Imperium ciuilis & in-
 testino bello sicleratum, tamquam communem
 prædam inter se partirentur, vt qui iam ante Im-
 peratoris nomen ferre non poterant. Et Lutherus
 in libro De bello Turcico, titulos illos qui Im-
 peratori tribui solent, quum Caput Christianitatis,
 Tutor Ecclesiæ, Defensor Fidei appellatur, ait falsos &
 vanos, & ad Iesu Christi iniuriam & contumeliam
 pertinere. Luthero ex altera parte, nempe ab Hel-
 uetia, concinit Zuinglius, (a) qui ait, Magnam esse
 similitudinem Imperatorem in Germania agnoscere, qui Ro-
 man non agnoscatur. Quod si tamen Imperiale Maj-
 istatem, summum Germaniæ decus, Princeses il-
 li coniurati conseruare voluissent, certum est
 Christianam Reipublicam illo ipso die è Prote-
 stantibus aliquem Imperatorem fuisse habitu-
 ram: qui mox, Transylvaniæ Vayuodæ exemplo,
 Hungariae occupato regno, cum Turca fedus pa-
 sterus fuerat, vt contra Ferdinandum, quem cetero-
 qui pro Romanorum Rege quidam habere re-
 culabant, id tueretur. Landgrauij certa ambitio
 ab eiusmodi covatu non aliena futura fuisse vide-
 tur. Saxonæ vero Ducii domestica non deerant
 tanta magnitudinis exempla, duo Henrici, tres
 Otttones, Lotharius & Adolphus. Sæpen numero
 rebellibus expediri, vt omnia perdantur modo ipsi
 evadant, aut in ipsis totius patriæ cineribus vel ru-
 deribus sepeliantur. Saxo quoque exercitum ha-
 biturus erat noua illa victoria adhuc cruentum &
 ferociem. Bohemiam etiam regnum magna ex parte
 Hussitarum opera Protestantibus adiunctorum se
 fuerat. Landgraujus quoque validas adhuc sub
 signis habebat copias. Horum omnium imperium
 Carolo & Ferdinando profligatis, quis sistere aut
 cohibere potuisset? quum etiam soluto federe, &
 tantis acceptis cladibus, unica vrbis Magdebur-
 gensis Imperatoris atque Imperij virtibus se op-
 ponere ausa fuerit, & reliquæ victoribus quinque
 aut sex annis post victoriam, tantum negotijs de
 novo facessuerint. Priusquam tamen hoc de vi-
 ctoria Cæsaris caput concludam, Cæsar capto Sa-
 zone ad Vittebergam exercitum admovit. Mai-
 & de-

a Lib. 4. Epist. Zwing. & Oecolam. fol. 186.

& dditione accepit. *Maij*, & biduo post ingressus inspexit: s. vero Iunij Septemviralem dignitatem cum ditione annexa à Ioanne Friderico captiuo capite protestantium eiusque posteris ablatam Mauritio Duci Saxoniz & captiui sobrino contulit (*b*) captiuus vero ex ijs locis abdu&us est, & paulo post Landgrauius Hassia Philippus alterum factiosum caput Halz Saxonum captus est (*c*) Porro Ex-Elector cum abduceretur in vinculis zelo Academiz Lutheri. V Vittebergicæ & studians filio in mandatis dedit, ut tempestate Belli dissipatas reliquias Academicorum colligeret, & Ienam transferret, quod mox cœptum est, sed pars Lutheranarum Academicorum V Vittebergam cum Philippo Melanchthonem redire maluit, quæ nemp Moliorum erat, Rigidiores vero Ienam concesserunt. (*d*).

QVID IMPERATOR POST VICTORIAM egerit: & quomodo Interimistica religionis formula sit procula,

CAPUT XVII.

ARGUMENTVM.

- I. Error Imperatoris post victoriam in captiuū detinendis.
- II. Eiusdem in sedandis religionis controversiū studium.
- III. Concilium solurum re-integrari vult.
- IV. Liber INTERIM editus.
- V. INTERIM undiq; impugnatur.
- VI. Caesar persequitur nolentes recipere Interimisticam Religionis formam.

I. CLEMENTIA illa qua Imperator post victoriā Saxoni (quem Schlüsselburgius impudenter Iesu Christi Martyrem appellat,) virtutem fecit, et si laudem eius per totum Christianum orbem plutimum illustravit, ad Ecclesiæ tamē quietem & securitatem parum profuit: sic ut nouæ semper victoriz nouas Imperatori pepercint curas. Nam ut in rebus prosperis & omnibus victorijs perpetuammodum moderatione antehac semper vsus fuerat, adeo ut à militibus idem ei quod Hanibal exprobratum fuerit, quod nimis Vincere sciret, at victoria uti nesciret; sic etiam cum satis habuit duos illos Principes per quinque annos fere aut sexennium captiuos secum circumducere, compedibus quidem fere singulis die-

bus oneratos, nullo alio cum fructu, quam quod ex eorum ignominia, ut quidam interpretari nos verentur, gloriam quereret. Interea coniugum lamentationibus, liberorum & cognatorum querelis omnium tam Germanorum, quam exterorum Principum aures quotidie pulsabantur, plerisque passim indignantibus tantos istos Principes, & quidem sub exterz gentis, quod iniuriam augebat, custodia, tam diu traduci; etiam inimicorum contra eosdem odio tandem in misericordiam verlo. Inter ceteros ijdem grauter de hoc apud Galliarum regem conquesti sunt, qui iamdudum Cæsaris fortunæ & magnitudini inuidiebat. In primis vero Protestantes Principes qui fidelem Cæsari in eo bello operam bauarant, pro captiuarum liberatione assiduo apud Cæsarem intercedebant: quum vero surdis auribus preces suas accipi videbant, graui concepta offensione, tempus & iniuriam hanc, vti interpretabantur, vlcilendi, & pristinam patriæ libertatem restituendi, simulque controversiam de religione renouandi, opportunum circum spicere coepérunt. Melius sane Cæsarem facturum fuiss' credibile est, si quibus virtutem gratiam fecerat, ijs integrum quoque libertatis beneficium concessisset, & sic vniuerso bello clementiā finem imposuisset. Sed fato quodam fit, ut fortuna saepe contra nostra instituta, consilia & præcautiones rerum euentus dirigat, eosque in sua manu esse demonstret. Quis vero huius rei euentus fuerit, infra perspicue videbis.

II. Posteaquam Imperator tam graui bello alijsque intricatis negotijs sese explicauit, circa lūliū mensē & à Principib; & ciuitatibus quos in gratiā receperat (qui fere vñus victoriz huius fructus fuit) ad decies sexies centena millia aureorū, & quingentas aut sexcentas circiter maiores machinas multæ loco exegit; tum rebelles quosdam & in primis Magdeburgenses, qui soli imperium detrectabāt, proscripti: primam omnium religionis curam suscepit, quæ hactenus velut in suspeso manserat. Quare & Ecclesiasticis bona restituti, & templū polluta passim lustrari atque expiari, diuinum denique cultum ad pristinam formam restaurari iussit. Coinitia deinde Augustam Vindelicorum in sequentem mensem Septembrem indixit futura in quibus quum exposuisset, omnium malorum quibus hactenus afflcta

O o 2

b Vlenb Vit. Melanch. cap. 17. num. 2. c Mercator in Chronol. *d* Vlenberg. loco ist.